

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0067
	0065
	0071
	0061
	0076
	0056
	0116
	0016
	0166
	0566
	1066
	Ende
	Anfang

56

in conventibus, propter loci sanctitatem, quem archangelus Michael sua apparitione singulariter sanctificavit, sicut sanctificavit montem Garganum, de quo dicetur fol. 186 Part. 2., ad quem homines de longinquis partibus currunt. Sed sanctificatio hujus loci per angelum multo solemnier est, cum canonicae Scripturae testimonio approbetur et verissima et indubitate Michaelis apparitio in hoc loco est facta. Currunt homines et peregrinantur in partes occidentales, usque in mare Britannicum ad quendam S. Michaelis montem, ad videndum quasdam S. Michaelis, ut pueriliter loquar, reliquias et arma, dicentes, sanctum Michaelem arma sua, quibus draconem debellavit, et quibus Josuae in agro Jericho praesidium praestitit, ad eundem montem deposuisse. Et hoc ludibrio non solum pueri, qui in maxima multitudine de omnibus partibus Alemanniae anno 1457 ad eum locum peregrinabantur, decipiuntur, sed etiam senes et sine literis prudentes. De hoc placet mihi quandam experientiam recitare. Quadam vice Ulmam cum socio exivi ad praedicandum in oppido Güntzburg, et in itinere venimus ad quendam peregrinum, qui eadem via descendit, ad quem cum industria me adjunxi et eum, unde peregrinaretur, interrogavi addens, me ipsum fuisse peregrinum in terris alienis, ideo peregrinis magis affectum. Erat enim peregrinus ille vir personatus et industrius, et eloquens de Wienna, sed saecularis indoctus. Respondit mihi: venio, inquit, de longinquis partibus ab oceano, de monte S. Michaelis. Et ego: et quid quaeso ibi quaequivistis et vidistis? Mihi dixit: quae quaequivi, inveni et oculis contemplatus sum, vidi enim in loco gloriosi archangeli Michaelis scutum et gladium, quibus cum dracone Satana in coelo bellum gessit, quibus Luciferum et omnes ejus complices e coelo pepulit, quibus armatus ante Jesum, filium Nave, in agro Jericho apparuit. Ad quem ego: o Frater, illa sunt magna. Quis vobis haec ostendit? Respondit: monachi, albis induiti, viri religiosi, haec cunctis ostendunt cum solemnitate, et inde emolumenta pin- guia habent. Cui dixi: quis tantas reliquias ad locum illum posuit? Respondit: Sanctus, inquit, Michael, postquam diabolum devicit et bellare cessavit, per se ad hunc montem descendit et armamentarium ibi esse constituit, et tempore Antichristi